



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXXIV. Si licet ire per villam sine iussu magistri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.

Conuenit his nempe militibus, qui nihil sibi Christo carius existimant, propter seruitium, secundum quod professi, & propter gloriam summæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indefinenter magistro teneant. Tenenda est itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum a magistro fuerit, vel ab illo cui magister mandatum dederit, sine mora, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De talibus enim ipsa Veritas dicit:

Psalm. 117. Ab auditu auris obediuit mihi.

XXXIV.

Si licet ire per villam sine iussu magistri.

Ergo hospitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum seruiantes, deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt sine magistri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præsumant, præterquam noctu ad sepulcrum, & ad stationes quæ intra muros sanctæ ciuitatis continentur.

XXXV.

Si licet eum ambulare solum.

Hi vero ita ambulantes, non sine custode, id est milite aut fratre remanente, nec in die nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque postquam hospitati fuerint, nullus miles vel armiger aut alius per atria aliorum militum causa videndi, vel cum aliquo loquendi sine iussu, vt dictum est superius, incedat. Itaque consilio affirmamus, vt in tali domo ordinata a Deo nullus secundum proprietatem militet aut quiescat, sed secundum magistri imperium totus se incumbat vt illam Domini sententiam imitari valeat, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.*

Ioan. 5.

XXXVI.

Vt nullus nominatim quod ei necessarium erit quærat.

Hanc proprie consuetudinem inter cetera adscribere iubemus, & cum omni consideratione ob quærendi vi-